
Witzlebius.
De modo
docendi atque discendi theologiam


Sorø. s. a.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

1,-3

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 00003 X

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

GEORGIUS WITZLEBIUS
Theologiæ Profeſſor P. & Paſtor.

DE MODO
DOCENDI ATQ; DISCENDI THEOLOGIAM.

In Regia & Eqveſtri Academia Sorana.

Ad omnes Studioſos Theologiæ.

SORÆ,
Excudebat HENRICUS CRUSIUS,
Academiæ Typographus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

PERILLUSTRIBUS ET MAGNIFICIS
Heroibus ac Dominis;

DN. CHRISTIANO THOMÆO,
Domino de Stugard &c. Eqviti Aurato, atq; Regiæ Majeſtatis CANCELLARIO Magno &c.

Ut &

DN. HENRICO RAMELL,
Domino de Beckeſchow &c. Regiæ & Eqveſtris Academiæ Soranæ PRÆSIDI graviſſimo, atq; Præfecto Regio in Borlum.

Dominis ſuis Mecœnatibus ac Patronis ſubmiſsè colendis.

PErilluſtres ac Magnifici Domini, Quæ in Eccleſiæ atq; Academiæ emolumentum, juxta menſuram donationis gratiæ, juſſu veſtro & auctoritate conſignavi & publicavi, Vobis nunc offero. Quod igitur viciſſim peto & ambio, Patrocinium veſtrum eſt, ut quemadmodum antiquitus Viri Dei ſuos Obadias habuere, ſic ego nunc veſtro & Nomine & Favore, Eccleſiæ Chriſti & Academiæ operam meam conſecrem, totusq; ipſe Gloriæ Dei emancipatus ſim. Valete perilluſtres ac Magnifici Heroes, Eccleſiæ atque Regni bono perennate.

Qui Magnificentias veſtras Deo quotidie devotis precibus commendat

Georgius Witzlebius.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

TESTIMONIUM.

VIRI plurimùm Reverendi, Epiſcopi Selandiæ, & Theologiæ Profeſſoris in Regia Academia Haffnienſi vigilantiſsimi,

Dn. CASPARI ERASMI BROCHMAND, hujus regni inclyti, & orbis orthodoxè Chriſtiani, Præceptoris, & Doctoris communis.

NON ſine admiratione legi σωμόψιν, *qua ſummatim complexus es, quæ juventuti Academicæ partim publicè, partim privatim à te prælegentur, probo & laudo conatum, ſerio & ex animo dico, Te id in re ſacra præſtiturum, quod vix ab uno etiam Exercitatiſsimo Theologo ſperari poteſt, ſi totum id, quod promiſiſti præſtes. Vires & valetudo, ſi tanto operi ſufficiant, tantum abeſt, ab inſtituto ut dehorter, ut etiam velim currenti calcar per me additum. Vale.*

ALIUD.

Nempè VIRI plurimum Reverendi,

Dn. PETRI WINSTRUPII, Epiſcopi Scaniæ vigilantiſſimi, atq; S. S. Theologiæ Doctoris excellentiſſimi.

MEthodum Sciagraphicam, & Sciagraphiam Methodicam eorum, quæ juventuti privatim atq; publi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

cè, didacticè ac polemicè prælecturus es, fraternè communicatam, oculis non ſine voluptate uſurpavi. Ex ijs quæ ad διδασκαλίαν τὴν κατ' εὐσέβειαν, & divina oracula, juniorum animis, dextrè inſtillanda, faciunt, nihil prorſus à te omiſſum aut neglectum deprehendo. Inprimis cum Megalandri noſtri Lutheri commentaria, quæ in pluſcula ſcripturæ dicta extant, divino ſpiritu ac ſucco prægnantiſſima, ſuccinctè & nervosè addere in animum induxeris. Namq; ſanè Lutheranos Theologos, absq; ductu divini ſui Lutheri, ſcripturam minus feliciter interpretari mihi eſt quam certiſſimum: Nec τῶν ὀρθοδόξων ullum, ipſam Spiritus Dei διάνοιαν efficacius aut dexterius exprimere atq; expromere, mecum fatebitur, qui in ſcriptis Lutheri non planè hoſpes eſt. Cum itaq; tibi, Interpretationi ſcripturæ unicè velificaturo placuerit, præter alia, ἑρμηνείας ſacræ adminicula etiam adhibere commentaria ἐμφατικώτατα ipſius Lutheri, in compendium, ex varijs Tomis redigenda, rem ſanè præſtiteris non modo novam, ſed & Eccleſiæ apprimè utilem, quin Deo & Summo Magiſtratui gratiſſimam. Sanè ſtupendum tuum inſtitutum eſt, quod veneror, atq; inde τὸ θέλειν ſeu tuum divinæ gloriæ promovendæ deſiderium abunde perſpectum habeo, τὸ ἐνεργεῖν tibi calidiſſimo voto anhelans. Quæ ſcribo mi Witzlebi ſine fuco ſentio. Vale quam belliſſimè ſoſpes, quàm diutiſſimè ſuperſtes.

Qua-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

QUalem Theologiam veram, ſinceram, atq; ſalutarem, Spiritus Dei agnoſcat, non obſcuris indicijs teſtatum fecit: dum eam modò veritatem, modò Doctrinam, quæ circa pietatem in cordibus noſtris illuminandam occupata ſit, definit 1. Tim. VI. 3. Tit. I. 1. Quibus Scripturarum elogiis, omnem Sapientiam, quæ hunc ſcopum non reſpectet, quàm Specioſo etiam titulo veniat, longiſſimè à Theologia ſeparat, atq; diſterminat. *Deſcriptio Theologiæ.*

Ut autem Spiritus DEI hujus ſalutaris Doctrinæ ubertatem, excellentiam, atq; ſublimitatem, eò potentiùs cuilibet ob oculos ponat, per Jacobum Apoſtolum, Sapientiam non carnalem, nec terreſtrem, nec naturalem, ſed Sapientiam Deſuper devenientem, eam pronunciat. Cap. III. 15. 16. 17. Neq; id immeritò: Hoc enim Sacrum verbum, à divinæ ſapientiæ conſilio & authoritate profectum, Veritas ipſa eſt, quæ brevibus librorum voluminibus, inexhauſtos profundiſſimorum myſteriorum Dei theſauros continet, ex quibus unicè, quæ hominibus utilia & ſalutaria, abundè hauriri poſſunt. *Ubertas & Excellentia Theologiæ.*

Hæc lux eſt, quæ Humanam illuſtrans mentem, omnem neceſſariarum rerum veritatem docet: hæc animos ad difficile virtutum iter, arduamq; veræ vitæ viam, ſtrenuè ac ſtudioſè capeſſendam, incitat, accendit, atq; potenter roborat. Hæc ad doctrinarum, diſciplinarum, atq; artium omnium rationes examinan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

das, Veraq; à Falſis, & Honeſta à Turpibus diſcernenda, mentem illuſtrat & informat. Hæc etiam ſapientia fundamentum jacit veritatis, & certitudinis earum omnium rerum, quas humana mens invenire rectè poteſt.

Hæc deniq; Sapientia rationum omnium, quas hominibus ſubductas eſſe oporteat, & expediat, integram ſummam præfinit. Nam, quid mundus, quo Architecto fabricatus, quo artifice ſteterit, item, quid Homines, quid eorum initium, cujusmodi natura, quis omnium Auctor & moderator; quænam cauſa ſit, quam ob rem editi fuerint, quis vitæ finis, quis uſus ac modus, quis fons & Scaturigo ejus, quæ veri Boni inveniendi ratio, & quæ ejus Conſequendi & obtinendi via certiſſima ſit, apertè & luculenter admodùm ediſſerit atq; docet. Errorum præterea, & deceptionis, incommodorumq; pericula et diſcrimina, quàm multa et varia ſint, commonet: quo auctore illa, quibus artibus, viribus & conatu creentur, ſignificat: inſuper Malorum omnium expulſorem, & Bonorum Auctorem, DEUM, Chriſto Filio ejus conciliatore, oſtendit, ac totum humanæ ſalutis, tùm ab ipſo afferendæ, tùm hominibus ipſis obtinendæ, conſilium, regimenq; integrum exponit. Deniq; tùm breves Definitiones, tùm longas & apertas Explicationes, viarum atq; ſemitarum, quas in omni vitæ parte, rectè obeundâ, maximè noſſe, inire, expediat atq; tenere, declarat. Difficultatum demum, incommoditatum, & offenſionum, ac detrimentorum, quæ accidere poſſent, omnium cauſas, quâ ratione evitari, effugi, vel corrigi ea poſſent, quâ in omni tempeſtate & procellâ

arte

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

arte inſtrui deceat; quem in toto vitæ curriculo modum tenere, quæ ſigna & præcepta obſervare oporteat, donec tutus & tranquillus teneatur portus, apertè demonſtrat. Imò hujus ſtupendæ ſapientiæ tantæ divitiæ, tantiq; intimi receſſus ſunt, ut ipſe Spiritus DEI non affirmare dubitet, ijsdem & Angelos DEI, ſapientiſſimos licèt Spiritus, informari & illuminari. Epheſ. III. 10. Qua propter ſi dignitatem ac ſublimitatem ejus æſtimare ac deprædicare vellemus, ultra intimationis modum, ad immenſum conſcribendum librum tranſire cogeremur: nec tamen multo tempore, ingenti labore, omnibusq; ingenij conſumptis viribus, vel minimam ejus laudum ac ubertatis partem attingere poſſemus.

Sublimitas veræ Theologiæ probatur ab impotentia & ſtupiditate naturali Sapientum ſeculi hujus.

Quod vel exinde patet: cùm nemo Sapientum ſeculi hujus adeò celeri & exercitatâ linguâ, aut calamo ſit, ut ea, quæ ad dignitatem ejus pertinent, excipere, atq; eloqui, aut explicare valeat. Nemo eorum quoq; tantum mente atq; ingenio pollet, ut hujus ſapientiæ excellentiam, magnitudinem, atq; præſtantiam, non dicam conſequi, & exæquare, ſed ſaltem aſſequi cogitatione poſſit. Suâ enim ſublimitate, ſimulq; profunditate imperſcrutabili, omnem omnium intellectum, ac rationem longiſſimè exſuperat. In quo etiam nobis ſuffragatur. Hiob vir Dei Sanctus dicens: Cap. XXVIII: *Hæc ſapientia nuſpiam invenitur: & locus veræ Intelligentiæ, quis, quæſo, eſt iſte? Nemo hominum* (naturalium ſeu Carnalium) *novit præparationem ejus, neq; uſpiam invenitur in terra viventium. Abyſſus dicit, non eſt in me ea, & Mare dicit, Non eſt mecum. Non poteſt dari pro ea Clauſura* (i.e. theſaurus intimè incluſus,

ſus, & ſtudioſiſſimè aſſervatus) *neq; appendi poteſt argentum pro precio ejus: auro autem pretioſiſſimo Ophirino, margaritisq;, nequaquam comparari poteſt. Imo hæc ſapientia occultata eſt ab oculis omnis viventis, & ab avibus cœlorum abſcondita eſt. Perditio & Mors dicunt: auribus noſtris audivimus rumorem ejus. Deus autem intelligit viam ejus, & ipſe novit locum ejus.* Quo prægnanti monumento, ſapientiam hanc ab omnibus ſeculi hujus ſapientibus, etiam maximè principibus longiſſimè removet.

Non potuiſſet autem ſpiritus Dei penitiùs & pleniùs ſapientiam univerſam ſeculo hoc univerſo eximere, atq; ſeculi ſapientibus, universè omnibus, denegare, quàm ubi eam nec in Abyſſo, nec in mari, neq; in avibus cœli, aut mundi hujus etiam Archiduce, Perditione & Morte, inveniri rotundè aſſerit. Hoc enim Effato, atq; hiſce inprimis dictionibus, removet eam ab omnibus ſapientibus, quanto ingenio & intelligentiâ etiam præditi ſint. Ut enim Abyſſi dictione, profundo ingenio inflatos, & Maris verbo, prægrandi ſapientiâ carnali turgidos, abundantes, ſpumantesq;: ita Avium nomine notat ſublimi acumine præditos, Quales fueruut Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, Seneca, aliiq; plures: qui propterea etiam non immeritò Sapientiæ mundanæ & Carnalis Antiſtites & Dictatores audiunt. Cui ſententiæ etiam accedit Apoſtolus 1. Cor. II. dicens: *Nos loquimur ſapientiam in perfectis, ſapientiam vero non hujus mundi, neq; principum hujus mundi pereuntium: ſed loquimur ſapientiam Dei in Myſterio abſconditam, quam præfinivit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam omnibus amantibus*

ſe,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

ſe, præparavit, quam nemo Principum ſeculi agnovit, quam oculus non vidit, auris non audivit, neq́ſuper ullius hominis (carnalis) *cor adſcendit.* Pietatis ergò doctrinam, Theologiam illam veram, usq; adeò in ſublime elevat, ut præ ea omnem ſapientiam, aut ingenium humanum, maximè etiam Principum Doctorum Ethnicorum, non modo mirè extenuet, ſed & prorſus annihilet.

Quare etiam Naturalem hominem, quantâ Sapientiâ carnali turgeat atq; ſpumet, ne capere quidem eam poſſe, Spiritus Dei aſſeverat: adeò, ut ſi tentet, mera ſtultitia ipſi videatur. Quod ipſe Apoſtolus ſuo ipſius exemplo expertus affirmat, dicens: *Nos prædicamus Chriſtum, Judæis ſcandalum, Græcis verò ſtultitiam.*

Si ergò ulla ars, ulla doctrina manuductorem poſcit: Hæc ſanè ſapientia eum ſibi ante omnia, non ſolùm in diſcendo, ſed & in docendo, maximè, & quidem divinitus vendicat. Quare Chriſtus etiam dicit. *Omnes erunt docti Dei. Omnis ergò qui audit à Patre meo, & diſcit, venit ad me.*

Quod, ut eò manifeſtiùs pateat, Apoſtolus omnium & diſcentium & docentium nomine, idem fatetur, dicens 1. Cor. II. 10: *Nobis Deus eam revelavit per Spiritum ſuum: Nam Spiritus ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Quo certè effato expreſſè affirmat, neq; piis hanc ſapientiam revelari poſſe, niſi accedente Spiritu, qui eam ex profundis Dei hauriat, eâq; nos illuminet.

Quamvis quidem hæc omnia ita ſeſe habeant, nulla tamen, vel ars, vel ſcientia, plures indoctos, ineptosq́; reformatores, qui ſine prævio, & monſtrante, ſemitam, in ſapientiæ hujus penetralia ſe ingredi poſſe *Infelicitas Theologiæ.*

poſſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

poſſe audaculè præſumunt, ſortita unquam eſt, quàm hæc ipſa cœleſtis doctrina, quæ circa pietatem in cordibus noſtris illuminandam, occupata eſt. Agricolæ quidem, ut Divi Hieronymi verbo utar, cœmentarii, fabri metallorum, lignorumq́; cæſores, lanarii quoq́;, & fullones, & cæteri, qui variam ſupellectilem, & vilia opuſcula fabricantur, abſq́; Doctore eſſe non poſſunt, quod cupiunt. Quod Medicorum eſt, promittunt Medici: tractant fabrilia Fabri: ſola hujus ſapientiæ cœleſtis doctrina eſt, quam ſibi paſſim omnes docendam vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc Sophiſta verboſus, hanc Philoſophaſter litigioſus, hanc puſio balbutiens, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant. Alij obducto ſupercilio, grandia verba trutinantes, inter mulieres, quaſi aliud agendo, luſu quodam, de ſacris literis, ſeſquipedaliter philoſophantur: quales notat etiam ſuo tempore Apoſtolus 2. Tim. III. 6. Alii, proh pudor! à fœminis diſcunt, quod viros doceant: &, ne parum hoc ſit, quâdam facilitate verborum & audaciâ, ediſſerunt aliis, quod ipſi non intelligunt. Taceo de aliis, qui, ſi fortè ad Scripturas ſacras poſt ſeculares literas venerint, & triviali quodam acumine, animos diſcentium implicarint, aut ſermone compoſito, inani tamen dicacitate, aures populi mulſerint, quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint: ſed ad ſenſum ſuum, incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum dicendi genus, depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam Scripturam trahere repugnantem. De quibus ſuo tempore etiam

gravi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

graviter queſtus eſt Petrus Apoſtolus, 2. Pet. III. 16. 17. ajens: *quod multi indocti & nondum ſatis ſtabiliti & confirmati, depravent Paulinas Epiſtolas, aliasq; Scripturas, in propriam perniciem, atq; ita errore nefando abducti, excidant ex propria ſua ſtabilitate.* Quò ergò magis expoſita eſt, hæc ſalutaris doctrina profanationibus, ac depravationibus indoctorum, quò ſanctior etiam, & ſublimior hæc ſalutaris doctrina eſt, eò etiam majore induſtriâ, ſanctiore timore, ardentiore reverentiâ, eò etiam doctiore ſolertiâ, & curioſitate devotâ, tractanda eſt ab unoquoque. Præſertim, cùm non neſciamus dictitante ipſo Spiritu Dei 2. Pet. I. 20. 21. *Quod nulla unquam prophetia Scripturæ voluntate propriâ Hominis alicujus prolata ſit, ſed quod ſemper ſancti Dei Homines, non aliter, niſi ducti à Spiritu Dei, eam viderint, elocuti fuerint, aut ſcripto conſignarint:* non, inquam, aliâ ratione, quàm docti & ducti à Spiritu Dei. Cùm verò ſolo Spiritus ductu Scripturæ prolatæ ſint, nonne ergò temerarius eſſet, qui ad propria ſomnia eas trahere conaretur? Quapropter ſicuti nulla Scripturarum Sacrarum particula eſt, quæ non ſingulari ductu Spiritus DEI dictata & annotata ſit, ita ſanè, qui viciſſim has Scripturas reſolvere conatur, niſi interpretetur ſecundum eundem ductum, quo ſcriptæ ſunt, nonne ſe ipſum & alios in periculoſos errores conijcit? nonne idem doctrinam hanc ſalutarem depravat potiùs, quàm docet, & reſolvit?

Quamvis quidem, Diſcere ad quemvis pertineat pium: Docere tamen hanc ſapientiam, nullius eſt, niſi ejus, cui ductus Spiritus DEI, quo duxit ſanctos homines, intrà animum penitiùs innotuit: & ita ſo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

lido fundamento ſingulari doctrinâ, certisq; regulis inſtructus ſit, antequam interpretando doceat. Uno verbo. Hanc doctrinam docere, & ex Scripturis ſolvere, nullius eſt, niſi ejus, qui donatus eſt divinitus χαρίσματι ἑρμηνείας γλωσσῶν, *dono interpretationis linguarum 1. Cor. XII.* Quo dono, quisquis caret, juxta ſententiam Petri Apoſtoli, indoctus eſt, & nondum ſtabilitus; unde non poteſt non depravare Scripturas. Contra verò, qui hoc dono inſtructus eſt, eo ipſo, ſolido fundamento, & doctrinâ imbutus eſt, ut Scripturas non ad propriam voluntatem, ſed ad Ductum Spiritus Dei explicare, Eccleſiamq; Dei ædificare valeat. Quod donum nemini, niſi devotè Deum ſolicitanti, ſcripturasq; ſedulò ſcrutanti, divinitùs ſingulari gratiâ in Chriſto Jeſu donatur. 1. Cor. XIV.

Quandoquidem autem Deo placuerit, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, me in vicem Jeſu Chriſti eligere, ut non ſolùm Eccleſiam ejus ædificarem, ſed præterea, ut quàm maximè etiam ij, quos impoſterum Eccleſiæ ſuæ Paſtores & Doctores ſtatuerit, miniſterio eodem, benedicente Spiritu ejus, χαρίσματι ἑρμηνείας γλωσσῶν, *dono docendi in Eccleſia Dei ſalutarem doctrinam*, imbuerentur: utiq; & vocationis & officij ſacroſancti non immemor, in timore & tremore DEI ſolicitus fui, quâ ratione juxta menſuram donationis gratiæ, ſatisfacerem, ne Deo inobediens, diſcipulis ejus, & Eccleſiæ pariter, ſterilis, mihi autem ipſi, exitio eſſem. Quod etiam, ne ullum propoſiti ratio lateat, programmate hoc publico indicandum decrevi.

Quod ergò felix fauſtumq; ſit Academiæ & Eccleſiæ Dei, accingor ad enarrandam viam, quà in revela-

tio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

tionem myſteriorum & Sapientiæ Dei, auxiliante Spiritu Dei, manuducere ſperamus, omnes, quicunque Deo corda, animosq;, precibus, ſtudiisq;, devotè oblaturi ſunt: omnes, quicunq; doctrinam, ductum, & inſtitutionem noſtram ſequi non detrectarint.

Requiſita futuri Theologiæ ſtudioſi, partim à nobis excolenda, partim de integro à Nobis docenda.

Primò omnium in ſingulis, qui nomen ſuum huic ſapientiæ ſacraturi ſunt, requirimus initia & fundamenta Logicæ, Oratoriæ, aliarumq; ſcientiarum, ut & utriusq; Linguæ, tum Hebraicæ, tum Græcæ: ſine quibus nemo unquam diviniſſima myſteria feliciter aggredi, nedum exhaurire potuit. Quæ fundamenta à Clariſſimis earundem Profeſſoribus, nemo non facile brevi temporis ſpacio ſibi comparare poterit, adhibito ſedulo ſtudio. De reliquis, ſecuros eſſe jubeo: cùm enim omnia effata Dei, quæ vel teſtandi, vel confirmandi, vel declarandi, vel illuſtrandi gratiâ, è ſacris monumentis, tùm privatim quotidiè, per integras duas horas, privatis exercitationibus, tùm publicè, Lectionibus, Diſputationibus & Actibus Oratoriis ſacris, ſolùm, vel Hebraicâ vel Græcâ lingvâ proferenda & alleganda ſint: quotidiano & crebro exercitio, Deo cœlitus benedicente, utraq; tam familiaris fiet, ut paulatim in vernaculæ uſum tranſeat.

Quorum præcipua ſunt. Lingua Hebraica. Lingua Græca.

Hoc tamen ſimul promitto in rei literariæ gratiam. Quia accentuum ratio in ſacratiſſimis monumentis, res magni momenti eſt, ſine quibus de ſenſu alicujus loci nemo ſat certus eſſe poteſt, nam multum ſenſui inſerviunt. Illa inquam accentuum ratio, tam in libris Proſaicis, & Decalogo inprimis, quàm in libris metricis, vulgo ita dictis; quamvis à nullo Grammaticorum, ſive Judæo ſive Chriſtiano

Doctrina Accentuationis abſoluta. Apodixis Scripturæ ſacræ alias dicta Biblio.p.m.

hoc modo, quod ego noverim, tradita ſit: à me tamen ſimul eandem exſpectabunt.

Univerſa Regiminis Dei Hiſtoria.

Præterea, cùm univerſa doctrina cœleſtis, habitu hiſtorico ut plurimúm deſcripta ſit: ſinguli enim libri ferè in enarranda Regiminis Dei Hiſtoriâ occupari deprehenduntur, qua occaſione myſteria ſapientiæ hinc inde creberrimè ſubinſperguntur. Hiſtoria utiq; Regiminis Dei, à primo creationis puncto, per omnes καίρους, Deoq; opportuna momenta, usq; ad Acta Apoſtolorum, ſignatis veſtigijs, compendioſo & perſpicuo modo, privatim tradetur ac inculcabitur. Quæ res ineffabilem lucem myſterijs ſapientiæ Dei allatura eſt. Non pauca enim myſteria ſola Regiminis Dei Hiſtoria nituntur. Qua ignorata mirum non eſt, quod non raro implicentur ſcrutantes, eaq; ex parte errore abducti, ſcripturas non exolvant, ſed teſtante Petro, easdem depravent, in propriam perniciem.

Hæc res inſuper hunc habebit inſignem uſum: namq; plures hiſtoriæ, quæ in ſacris hac & alia occaſione, non obſervato ordine, annotatæ reperiuntur, ſuo quælibet ordini decenti inſinuabuntur. Unde multæ contradictiones apparentes diſpaleſcent, Circumſtantiæ etiam, quarum plurimæ ſunt, ut Temporis, Locorum, Perſonarum, & quæ non raro in libris Samuelis, Regum, & Chronicorum deſiderantur, ex Pſalmis & Prophetis abundè ſuppeditabuntur. Ita per Pſalmos & Prophetas, Hiſtoria Regiminis DEI ſupplebitur, & viciſſim per Hiſtoriam ſuppletam, Pſalmi & Prophetæ, eò melius explicabuntur. Nam dictu ferè incredibile eſt, quantam lucem ex libris Samue-

lis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

lis Pſalmi, & Regum & Chronicorum hiſtoria, Prophetæ ſibi mutuent.

Brevis librorũ Regũ & Chronicorum Harmonia.

Eadem etiam occaſione, libri Regum & Chronicorum brevi, & perſpicua Harmonia exhibebuntur.

Harmonia Evangeliſtarum.

In primis verò Evangeliſtæ quatuor, qui Hiſtoriam Jeſu Chriſti incarnati, paſſi, mortui, excitati, & exaltati, ductu Spiritus Dei annotarunt, Harmonico Schemate, quo ordine & modo omnia ſunt geſta, tradentur. ita conſenſus mutuus conſpicietur, multa dubia ſolventur, difficultates non paucæ expedientur, obſcuraq; illuſtrabuntur. Inde ex Actis Apoſtolorum, Apocalypſi, alijsq; Prophetis, Hiſtoria Regiminis Dei, usq; ad noſtra tempora, & inde ad finem ſeculorum in genere ſaltem dabitur. Qui ſpecialia deſiderat, haurire ea poterit, ex Patribus & Scriptoribus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Hæc enim jam noſtri inſtituti usq; adeò non ſunt, cùm nos ſaltem ea quæramus, ſine quibus Scriptura, aut non intelligi, aut non explicari poteſt. Hæc de Hiſtoria Regiminis Dei.

Chronologia Sacra.

Hiſtoria autem Regiminis Dei nequaquam ſine temporum ratione dari poteſt. Neceſſariò ergo incumbit nobis ſimul etiam tradere Chronologiam ſacram, eamq; à primo creationis momento, usq; ad Jeſu Chriſti exaltationem, atq; inde ex Actis & Apocalypſi quædam in genere. Ubi iterum multa loca hac occaſione explicabuntur, multæ difficultates exſpirabunt, contradictiones verò apparentes & indiſſolubilia ferè dubia, quæ in negocio hoc in primis occurrunt, exoptatò diſſolventur. Namq; ſtudium noſtrum unicè in explicationem ſcripturarum directum eſt.

Hiſto-

Hiſtoria verò non ſolùm Chronologiam, ſed & neceſſario quodam comitatu Genealogiam ſacram ſibi depoſcit. Sine ea enim Hiſtoria Regiminis Dei, neq; dari, neq; capi, & intelligi poteſt. Ut enim taceam aliarum gentium ortus Originesque, propter unum Jeſum Chriſtum incarnatum, ſeriemq; Patriarcharum, è quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, (qui benedictus in ſeculorum ſecula Amen,) usque adeò neceſſaria eſt, ut qui eam negligat, non poſſit non ſæpiuſculè hæſitare in ſacratiſſimis monumentis. Non commemorabo jam admirandam Regiminis Dei rationem, quæ in eadem creberrimè elucet, ut ſuis locis proprijs docebitur, ubi ſimul quanta ſecreta, vaticinia, myſteria quoq; in nominibus Proprijs lateant, pateſcet. Ne autem fortè in id vitij incurramus, quod perſtringit Spiritus Dei 1. Tim. IV. ſedulò cavebimus. Quare nec Philonis Judæi nec Joſephi, Rabbinorumq; traditiones ſequemur, ſolùm autem ea, quæ pertinent ad perfectam Genealogiam Chriſti, atq; ad ortus & origines Populorum, Prophetarum, Heroum, aliarumq; Perſonarum inſignium & illuſtrium, ex Scriptura depromemus. Unicè propterea, ut Interpres citra omne impedimentum eò promptius & expeditius in oraculis divinis verſari poſſit, quæ ſanè non mediocre lumen ſibi à Genealogia vendicant.

Genealogia Sacra.

Neq; minùs requiritur Geographia ſacra, cujus tantus in ſacris monumentis eſt uſus, ut peregrinari videatur, atq; in meridiana luce Scripturarum palpare, hanc qui ignoraverit Quare dabimus delineationem univerſalem terrarum totius Orbis, prout nervosè,

Geographia Sacra.

nervoſè, miro, accuratoq; Compendio, à Spiritu Dei ipſo, Geneſ. X. ô quantæ authoritatis Geographum! deſcribitur: quâ etiam omnes prophetæ utuntur, quando res ipſis eſt, cum exteris nationibus, usque adeò, ut antiquiſſima nomina, olim à Spiritu Dei impoſita, licèt eo tempore, quo Prophetæ ſcripſerunt, pleraq; obſoleta fuerint, mutare noluerint.

In ſpecie autem, dabimus accuratam terræ ſanctæ deſcriptionem, quoad urbes, montes, ſolitudines, flumina, fontes, ſylvas, campeſtria, deſerta, ſpeluncas &c. explicatis propriorum nominum ſenſibus, in quibus ſæpiſſimè arcana maxima latent. Ubi finitimas quoq; regiones attingemus. Namq; qui feliciter in ſacris verſari vult, terram ſanctam multò accuratiùs notam habere debet, proprio ſuo Natali ſolo. Maxima enim, Imò omnia myſteria cœleſtis Sapientiæ, varijs modis parabolicè hâc terrâ depinguntur. quâ ignoratâ, latet exacta ſpiritualium Notitia.

Huc accedit ratio menſurarum, monetarum & ponderum ſacrorum, ante omnia verò Architectura, ratio ſtructurarum & Fabricarum ſacrarum, ut ſunt: Arca Noe, Tabernaculum cum omnibus vaſis, inſtrumentis. Templa quoq;: Salomonis, Ezechielis, Zerubabelis, univerſa Hieroſolyma, & Zion. Quibus omnibus tot abſcondita regni Dei Myſteria ſpiritus parabolicè adumbrat, quot ferè ſunt omnium ſtructurarum particulæ, ut ſcripta Apoſtolorum & Evangeliſtarum, inprimis verò Epiſtola ad Hebræos, id non obſcurè teſtantur. Quâ cognitione eò minùs ullus carere poteſt, quò magis conatur vice Jeſu Chriſti in Eccleſia ejus docere. *Scriba enim doctus in regnum Dei,*

Ratio menſurarũ, monetarum & ponderum ſacrorum.

Architectura ſacra.

Et ratio ſtructurarum ſacrarum, Arcæ, Tabernaculi, Templorum &c.

depromit ex theſauro ſuo & vetera & nova: dictum Domini.

Hæc ferè ſunt, quæ ut præparatoria, ad interpretationem Scripturarum, ſecundùm ductum Spiritus Dei, inevitabili neceſſitate prærequiruntur ab omni, qui non propriâ voluntate eas exſolvere, & indoctorum, parumq; confirmatorum exitioſo exemplo, Sapientiam Dei, potius depravare, quam docere audire cupit, proprio ſuo exitio.

Supereſt, ut unà cum his etiam Res ipſæ divinæ ſapientiæ ex ijsdem Scripturis eruantur & doceantur. Quod, ut ſumma & caput rei eſt: ita in hoc ut plurimum & publicè & privatim occupati erimus. Cætera enim omnia obiter quaſi cum hoc doceri poterunt. In quem uſum quidem publicè prælegemus Cunradi Dieterici Theologi celeberrimi, atq; de Eccleſia Dei meritiſſimi, Catecheſin, atq; totius Doctrinæ cœleſtis capita, & articulos, in genere crebrò inculcabimus.

Catecheſis Cunradi Dieterici publice præ legenda.

Cui publicæ doctrinæ ſubjungemus Collegium Theologicum privatum, cui unà cum publicis lectionibus quotidie incumbemus, quo omnia uberius diſtinctiusq; perſequemur. Omnia namq; capita Sapientiæ Dei, ejusq; regiminis, per omnes tres Status, Inſtitutionis nimirum, Deſtitutionis, & Reſtitutionis, obſervatis καίροις proprijs, juſto & decente ordine, ex Moſe, Prophetis, Pſalmis, Evangeliſtis, & Apoſtolis, divite ubertate proponemus: idq; non ſolùm proprio docendi modo, qui pro fundamento erit, ſed etiam Parabolico & Allegorico, quò creberrimè & tantùm non ſemper utitur Spiritus Dei, in enunciandis

Univerſa Theologia, pietatisq; Doctrina ſeorſim Collegio privato.

dis oraculis cœleſtibus. Quem docendi modum parabolicum eò minùs quisq; ignorare poteſt, quò magis ſcrutari allaborat profunditates ſapientiæ cœleſtis. Non pauca enim myſteria, quæ in propriè docendi modo, omittit Spiritus, tradit alibi involucris parabolicis. Ut ergo Parabolicus & Allegoricus docendi modus ſuppeditat ea, quæ alibi in propriè docendi modo omiſſa: ita viciſſim hic explicat, quæ profundo & ſapienti acumine traduntur alibi parabolicè & allegoricè. Neutro igitur carere quis ullus poteſt.

Omnia a. in hunc unum ſcopum tendent, quem Apoſtolus præfigit, nimirum in Doctrinam, Emendationem, Correctionem, & Inſtitutionem in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, in omne opus bonum benè inſtructus, hoc eſt, ut & in adhortando per doctrinam ſalutarem, & redarguendo contradicentes ſit potens & promptus.

Modus Ductus Dei, ab ipſius Spiritu, in omnib⁹ viris propheticis obſervatus, & neceſſariò ab omnibus Doctoribus, & Paſtoribus Eccleſiæ obſervandus.

Reſtat, ut juxta cognitionem rerum ſapientiæ Dei, etiam tradamus modum, quo ducti & docti viri Sancti à Spiritu, hanc ſapientiam elocuti ſunt, & docuerunt. Non enim ſufficit ſcire res Theologicas, ſed modus etiam, quo propoſitæ ſunt, cognitus eſſe debet, quem accuratè in docendo, quisquis æmulari, quàm proximè debet, non in Dictionibus tantùm, ſed & in docendi forma. Quare utrumq; ſedulò urget Spiritus Dei: dictiones quidem tam ſeverè, ut expreſsè affirmet, Illum, qui in docendis myſterijs Dei, non utatur Dictionibus ſalubribus Jeſu Chriſti, quas vel os ipſius ſacravit, vel ipſe per Spiritum ſuum dictavit, alias autem earum loco ſubſtituat, illum inquam non vera, ſed falſa & aliena docere, quicquid etiam dicat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,:3 4° 3

Imò talem docentem, turgidum eſſe, inflatum, & prorſus ignorantem, Hominem mente corruptum, veritate omni privatum, & vacuum, putantem, pietatem eſſe lucrum. Imò, eum qui non accedat, verbis Chriſti ſalubribus in docendo, nil agere aliud, quàm occaſiones præbere multis diſputationibus, & verborum pugnis. Anſam dare invidiæ, contentionibus, blaſphemijs, ſuſpicionibus pravis, perverſis conflictationibus, atq; ita univerſam ſalutarem doctrinam fædè proſtituere, & Ludibrio, tum impio mundo, tùm Diabolis exponere. Cujus rei, proh dolor, nullo non ſeculo, in Eccleſia Dei triſtiſſima exempla, ac tragœdiæ cruentæ videntur. Verba Spiritus Dei. 1. Tim. VI. 3. 4. 5. &c. ita habent. *Si quis aliena docet, & non accedit ad ſalubres dictiones Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ad eam doctrinam, quæ circa pietatem in cordibus illuminandam occupata eſt, ille inflatus eſt, nihil ſcit, ſed laborioſè & tædioſè occupatus tantùm eſt, circa quæſtiones, & verborum pugnas, ex quibus naſcitur invidia, contentio, blaſphemia, ſuſpiciones malæ, perverſæ conflictationes hominum, mente corruptorum, & veritate privatorum, exiſtimantium, Pietatem eſſe lucrum, ſeparato te ab iſtiusmodi.* Tàm ſedulò urget dictiones eas, quas Os Jeſu Chriſti & Spiritus ejus ſacravit, ut, qui id non videat, mente ſuâ lemas lippire, quantum cucurbitæ; qui id verò negare velit, aut contra dicere auſit, mente corruptus, veritate privatus, atq; omninò inſanus ſtatuendus ſit.

Quemadmodum verò ſalutares Dictiones, ita etiam cum iſtiusmodi dictionibus, ſimul peculiarem Docendi modum, quem ὑποτύπωσιν definit, poſtulat ab unoquoq;, qui vice Jeſu Chriſti fungi vult in Eccleſia Dei.

Sedu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

Sedulò enim juxta exemplum Sanctorum virorum Dei, Prophetarum & Apoſtolorum, cavendum eſt, ne quis ullus, teſtimonium Dei annunciaturus, id faciat, ſecundùm ſublimitatem eloquentiæ, & ſapientiæ ſecularis. Sed in id Laborare unusquisque debet, ut ſermo ipſius & concio, ſit in demonſtratione Spiritus & Efficacitatis, quæ demonſtratio elucet ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis. Exulare ergò debet omnis ſapientiæ humanæ vana Eloquentia, & pomposa dicacitas, ne fides, quæ ex auditu, ſit in ſapientia Hominum, ſed in ſola Efficacitate Dei. Quapropter Spiritus non ſolùm dictiones ſalubres Chriſti Jeſu; Sed & ὑποτύπωσιν, docendi & eloquendi modum urget, dicens, 2. Tim. I. 13. 14. *Formam,* ὑποτύπωσιν *ſalubrium dictionum, quas à me audiiſti, habeto in fide & amore, qui eſt in Chriſto Jeſu, pulcrum hoc depoſitum, cuſtodi per Spiritum Sanctum habitantem in nobis.*

Qui ergò non ἑτεροδιδασκαλεῖν, ſed ductui Spiritus Dei in docendo inſiſtere cupit, unà cum ſalubribus dictionibus Jeſu Chriſti, eloquendi etiam formam Spiritui Dei familiarem, obſervabit. Utrumq; hoc, Spiritus Dei in tota Scriptura ſacra docuit. Ut ergò bonum hoc depoſitum quisq; accipiat, Omnia ſcripta Moſis, Pſalmorum, Prophetarum, Evangeliſtarum, & Apoſtolorum, ſuâ propriâ ὑποτυπώσει, & formâ analyticâ, tum Generali, tùm Speciali, breviter, nervosè ac perſpicuè proponemus: atq; hac ratione ex ſingulis ſcriptis ſacris, analyticâ formâ conſignatis, univerſus modus ductûs Dei, quo in enunciandis myſterijs ſolùm Dei Homines duxerit, abundè eluceſcet, additis regulis, obſervationibus, notisq; huic inſtituto ſervien-

Ἐκτύπωσις Hypotyposeos ſalubriū dictionum JESU Chriſti: ſeu Analyſis omnium ſcriptorum Moſis, Prophetarum, Pſalmorū, Evangeliſtarum, & Apoſtolicarū epiſtolarū, cum interpretatione.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

Collatio Targum Triplicis, Onkelos, Jonathan, Hieroſolymitani, & Rabbinorũ doctiorum.

vientibus. Interea, ſi quid boni etiam ex triplici Targum, Onkelos, Jonathan, & Hieroſolymitano, Doctisque Rabbinis, depromi poſſit, quod quidem exiguum valde eſt, non reticebimus. Obſervationes verò Doctorum Orthodoxorum nunquam non ſimul notabimus. In quem Uſum Megalandri noſtri Lutheri commentaria, ante omnia elegimus. Ex quibus omnia, quæ vel ad analyſin, vel Interpretationem, vel Explicationem Scripturarum ullo modo faciunt, compendio excerpemus.

Opera Lutheri.

Quis vero Accentuationis uſus, in hoc præcipuè eluceſcet.

Idiotiſmi.

Idiotiſmorum quoq;, ut & Dictionum ſingularum Jeſu Chriſti ſalubrium rationem exactam eâdem operâ dabimus, nimirum quid ſignificent, & quomodo ſignificent, quatenus etiam cum dictionibus humanæ ſapientiæ concordent, & quatenus diſcordent, itemq; quæ rem propriè, quæ verò tropicè deſignent. Sine quibus nemo in docendo, aut dictionibus Salubribus Jeſu Chriſti, aut etiam earundem ὑποτυπώσιν, accedet: ignoti enim nulla cupido. Hæc opera quotidiè Lexicographiæ vivæ vicem præſtabit.

Lexicographia ſacra.

Omnia iſta quidem ab alijs religioſis atq; Doctis viris grandibus voluminibus eruditiſſimè conſignata extant. Noſtrum autem inſtitutum eſt, ea non tàm dictare chartis, quàm inſcribere cordibus & mentibus auditorum: ideò breviſſimi erimus in dictitando, uberrimi autem in docendo, quod quâ ratione fieri poſſit, ut ſcopus noſter obtineri queat, dies propediem docebit.

Ita tamen progrediemur. Principaliſſimis Collegijs hiſce duobus, Theologico, & Interpretationi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

Scripturarum, totidem horas quotidiè impendemus, matutinam unam, alteram pomeridianam: in fine utriusq; horæ autem, Colophonis loco, unum ex prædictis operibus, vel Hiſtoriam Regiminis Dei, vel Chronologiam, vel Genealogiam, Architecturam, aut Geographiam &c. obiter quaſi, pro appendice adjiciemus. Non enim vi, ſed crebro exercitio, & repetitione, in myſteriorum Dei notitiam, diſcendi cupidos, manuducere propoſuimus: Ut ita crebro exercitio, & linguæ ſanctæ, & oracula, cum myſterijs divinis, ſpiritu intra corda noſtra benedicente, paulatim de die in diem, magis magisque innoteſcant, creſcantque, donec exoptata dies, cum lucifero penitiùs intra nos exoriatur. Ne ampliùs ſimus puſiones fluctuantes, & circumacti quolibet vento doctrinæ, in alea Hominum, & aſtutiâ, tantùm ad artificioſas erroris inſidias comparatâ. Quod omne, freti promiſſionibus Dei, fallere neſciis, hiſce exercitiis obtinere ſperamus. Hæc enim exercitia urget Spiritus Dei, dicens: *Exerce te ad pietatem.* Moti ergò Apoſtolica authoritate, ijsdem exercitationibus vacabimus ſedulò, ut ita dulciſſimæ Spiritus promiſſionis participes fiamus, χαρίσματος ἑρμηνείας γλωσσῶν, *Doni interpretandi & Docendi in Eccleſia Dei.* Namq; in hoc uno vertitur & abſolvitur Fundamentum, & illa Doctrina, quam Spiritus Dei ab unoquoq; Doctore Eccleſiæ poſtulat 2. Pet. III. 16. qua ſine omnis interpres & Doctor Spiritui Dei eſt indoctus, & parum ſtabilitus. à quo non explicatio Scripturarum & doctrina, ſed mera depravatio ſperanda eſt.

Tandem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

Tandem, quod ſupra etiam diximus, cum omne hoc tendat in unum hunc ſcopum, ſcilicet, dicente Apoſtolo, πρὸς διδασκαλίαν, ad docendum, videlicet ea, quæ ad ſalutis veræ ſapientiam attineant, proximè etiam πρὸς ἔλεγχον, ad convincendum & arguendum, ea omnia, quæ doctrinæ ejusmodi ſeu oppoſita, ſeu ſuppoſita ſunt, adhæc πρὸς ἐπανόρθωσιν, adſurrigendum unumquemque, ſi qua ulla ex parte ab hujus Doctrinæ ſemita infirmitate exciderit, & prolapſus fuerit.

Denique etiam πρὸς παιδείαν, ad caſtigandum, ſi quis à juſtitia verâ enormiùs defecerit. Reſtat igitur nobis, ut, dum auditores prænominatis exercitiis ſacris imbuuntur, Dono interpretandi & docendi, ſimul etiam illud donum ad prædictos uſus in Eccleſia Dei ritè applicare doceantur & exercitentur.

Actus Oratorij Sacri, & publici Linguâ Hebraica & Græca.

Quapropter Doctrinæ causâ publicè inſtituemus Actus Oratorios ſacros Hebraico idiomate, interdum etiam Græco. Qua occaſione Eloquentiam ſacram brevibus præceptis, obſervationibus & regulis dabimus, item figuras, tropos, Idiotismos ſingulares, amplificandiq; varios modos, & figuras, ut dicendi peritis dicuntur, eaq; omnia unicè ex Moſe, Prophetis, Pſalmis, Evangeliſtis, & Apoſtolis.

Eloquentia Sacra.

De Actione Oratoris Sacri ex Scriptura.

Cæterùm cum Actio docentis, in qua pronuntiatio, habitus, geſtus, ſitus & affectiones corporum animorumq; ſunt, maximam vim habeant ad hominum animos pulſandos, percellendos, commovendos, & immutandos, Prophetæ autem & Apoſtoli Dei in iſtiusmodi ad ſtuporem usq; occupati fuerint: Namq; Eſaias dehortaturus Judæos ab auxilio peregrino Ægyptio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

Ægyptiorum, tres annos incedebat ſacco, nudatus, diſcalceatus, dicens: *ita poſt tres annos captiva ducetur Ægyptus, nolite ergo confidere in ijs.* Et multa alia, quæ quidem prodigioſa ſunt, ac propterea non imitanda: ignorari tamen à Doctore Eccleſiæ nullatenus poſſunt.

Has omnes actiones, geſtus, habitus prodigioſos ſimul cum iis, qui adhuc hodie in docendo adhiberi poſſunt, brevibus præceptis, complectemur, Doctrinâq; perſpicuâ proponemus, unde quilibet, quid ex uſu ſiet, æmulari poterit.

Collegia & Exercitia concionandi, Linguâ tàm Danicâ, quàm Germanicâ & Latinâ.

Cum verò concionando imprimis Eccleſia DEI ædificetur: utiq; in hoc exercitio creberrimè occupati erimus, quod inſtituemus tàm Linguâ Danicâ, quàm Germanicâ & Latinâ, quæcunq; ex his Linguis concionaturis placuerit. Ubi omnia, quæ in admonendo, corrigendo, caſtigando, docendo de cathedra ſancta, ſcitu & notatu neceſſaria ſunt, pro menſura donationis gratiæ, fideliter monebimus & demonſtrabimus.

Exercitia diſputandi tàm publica quàm privata.

Poſtremò, ut ſcripturarum oracula etiam contra ignita adverſariorum Hæreticorum tela extinguenda adhibere aſſuefiant, diſputationibus tùm publicis, tùm privatis, Pontificiorum, Calvinianorum, Photinianorum, Arminianorum, aliorumq; Hæreticorum pudenda deliria, quæ contra ſalutarem hanc veritatem confinxerunt, examinare, atq; ex fundamento refellere docebimus. Ut verò eò tutius in via ſalebroſa inoffenſo pede progrediamur, Prævio viatore quodam utemur, plurimum Reverendo, atq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

Excellentiſſimo Viro, Domino CASPARO ERASMO BROCHMANNO, Selandiæ Epiſcopo vigilantiſſimo, univerſæ Orthodoxæ & purioris Doctrinæ, Veritatisque Aſſertore acerrimo, totiusq; Regni atq; Chriſtiani Orbis, melioris ſaltem, Præceptore & Doctore communi. Hujus veſtigia prememus, cujus quoq; ſcripta, in hoc præcipiti negocio, nobis pro norma & regula erunt.

Hiſce ſacris ad pietatem exercitiis, cùm quotidiè, in quantum Deus vires, ſanitatemq; largiturus eſt, vacaturi ſimus, in gratiam ſtudioſorum, utiq; non dubitamus, adhibitis ſaltem devotis precibus, atq; pertinaci ſtudio, quin triennij ſpacio, tantos ſibi ſapientiæ cœleſtis theſauros comparaturi ſint, quorum nec pænitebit poſſeſſores, nec Eccleſiam Dei, cui aliquando divinitus præponendi ſunt. Faxit Deus ut omnia in gloriam ejus, Eccleſiæq; Chriſti ædificationem vergant.

Sanctifica nos, ô Deus, in Veritate tua, Verbum tuum eſt Veritas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

GEORGIUS WITZLEBIUS
S.S. Theologiæ Profeſſor Publicus.

Ejusdem Salutaris Sapientiæ Studioſis omnibus.

Gratiam & Pacem à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

Programma, quo invitantur Studioſi Theologiæ ad Lectiones publicas.

CUm, finitis feriis hiſce ſolennibus, Lectiones noſtras Theologicas publicè incipere apud animum conſtituerimus, id vobis maturiùs aliquantò ſignificandum erat, ut tùm neceſſaria comparare, tùm de hora apud vosmet ipſos deliberare poſſetis. Horæ matutinæ, vel Sexta ad Septimam, vel Nona ad Decimam nobis patent, Utra vobis, & mihi placebit. Capita autem Pietatis omnia & Singula fideliter docebimus, cui inſtituto, Illuſtris & Magnifici Domini Præſidis placito inſerviet Catecheſis CUNRADI DIETERICI. Quam ita prælegemus, ut I. ipſius ductu theſin Ortho-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

Orthodoxarum Eccleſiarum noſtrarum ponamus. II. eam theſin ex Scripturis ſolidè confirmemus. III. Adverſantium hæreticorum argutias, quas malitioſè contra eam confinxerunt, & detegamus & nervoſè refutemus. Inprimis verò ex parte Pontificiorum, Concilium Tridentinum examinabimus, fraudes, abſurditates, & non rarò blasphemias, ob oculos ponemus, atque refellemus. Quid privatim præter publicas lectiones acturi ſimus, id propediem aperiet Modus docendi atq; diſcendi Theologiam, qui quam primùm lucem videbit. Neceſſarium autem erit, ut præter Catecheſin ipſam quilibet ad manus habeat BIBLIA, eaq; vel Latina, in forma octava, vel Hebraica & Græca: ſtudebimus enim, ut eâdem operâ & peritis lingvarum, & imperitis earum, ſimul ſatisfaciamus. Valete.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-3 4° 3